

tellectum homini dedit, eò prolabi neque vult neque potest. Nec quenquam aded perfrietræ frontis, impiique animi credo, qui, cùm hominibus vitio vertatur, sic scientes volentes sua componere verba, atque insuper nutibus, gestibus, aliisque corporis motibus ita omnes animi fallacis nervos intendere, ut in sensum non à se intentum, aut in plures, quorum quemnam intellectum voluerint dubitetur, incidant lectores aut auditores; tam enorme crimen Deo Optimo Maximo, Enti perfectissimo, in quem ne umbra quidem falsitatis aut fallaciæ cadere potest, audeat adscribere. Quocirca cùm talis ac tanta imperfectio longissimè ab eò sit removenda, & in nullas S. Scripturæ veritates incurrat lector vel auditor, in quas eum incursum non præviderit, imò providerit Dei Spiritus, cùmque in omnes incurrere possit, sequitur omnes illas eò in locò ab ipsò intentas significatasque fuisse; adeoque etiam esse veros sensus. Quod idem etiam comprobatur ex tritò illò apud Philosophos Axiomate, *frustrà fieri per plura, quod potest per pauciora*; unde deducitur aliud, quod ab unòquòque etiam admittitur, nempe meliùs eum loqui & scribere, qui paucis verbis multa, quàm qui multis pauca dicit, atque aded etiam qui unâ ac simplici oratione duas veritates, quàm qui unam tantùm docet, exclusâ aliâ: Optimum igitur præstantissimumque, si quis unâ omnes, quas comprehendere potest, significet. Cùm autem, ut aiunt, Deus & natura nihil agant frustrà, ac etiam Spiritum Sanctum optimè scripsisse unò ore omnes confiteantur, hunc in Dei oraculis conscribendis morem tenuisse, nemo aut negare aut in dubium revocare poterit.

9. Atque hæc nostra etiam sententia multorum omnis ævi doctissimorum virorum fulcitur auctoritatibus. Horum primi sunt, ut ab antiquissimis initium sumam, Judæorum Rabbini, qui, ut illam declarent, Dei verbum ferro ignito assimilant. Quemadmodum enim hoc igne continuisque flammis excandefactum si incudi imponatur, malleoque percutiatur, quaquaversum scintillas, candentemque scoriam spargit ac projicit: sic etiam ajunt, omnes sensus veritati congruentes, qui ex sacris Literis interpretatione hauriuntur, atque eruuntur, esse tanquam scintillas ac faculas, quibus Deus hominum animos à nebulis inscitæ, ac ignorantæ tenebris voluit liberare, illorumque mentes salutari sapientiæ ac cognitionis luce illustrare, atque illuminare. Atque hanc suam sententiam firmant Psalmò 62, ubi vers. 12. dicitur, *Semel Deus locutus est, bis idem audivi, quod Dei robur est.* Hoc est, ut illi interpretantur, Deus unam ac simplicem protulit orationem, at talem, quæ multiplicem continebat sensum; ego enim bifariam, hoc est, multifariam (numerus certus pro incertò) eandem intellexi, plures inde eliciendò sensus, in quò situm est Dei robur, quòd nempe possit ita suæ orationis verba componere, ut unâ simplici que, plures edoceat auditorem, lectoremve
veri-